

2. *Qualitas* propositionis conditionalis non est in affirmatione vel negatione antecedentis (conditionis), vel consequentis (conditionati), sed *nexus*. Unde propositiones: Si mundus existit, etiam Deus existit, et: si Deus non existit, neque mundus existit, sunt ambae *affirmativa*, quia nexus, i. e. dependentia inter Dei et mundi existentiam in utraque affirmatur. Propositiones vero: Etsi Deus existit, non tamen eo ipso mundus existit; licet fulguraverit, non tamen tonavit, sunt *negativa*, quia utraque negat nexus i. e. dependentiam unius partis ab altera. Propositio conditionalis affirmativa fit negativa eo quod negationis particula conditioni praeponatur: Non si Deus existit, mundus existit = etsi Deus . . . non tamen . . .

3. *Quantitas* propositionis conditionalis pendet ex *nexus*: qui si erit *necessarius* (metaphysice, physice vel saltem moraliter), erit propositio *universalis* (quoties-toties); si vero est *accidentalis*, erit propositio *particularis*: nonnunquam, plerumque si fulgurat, tonat.)—

4. *Veritas* propositionis conditionalis non est quaerenda in antecedente vel consequente, sed in *nexus* inter utrumque; si igitur nexus adest, est vera, secus falsa. Potest igitur utrumque esse falsum, quin ipsa propositio conditionalis fiat falsa; ita in propositione: si Deus non existeret, neque mundus existeret, et conditio et conditionatum falsa sunt, ipsa autem propositio conditionalis vera est, quia nexus adest. In propositione: si Deus existit, etiam mundus existit, et conditio et conditionatum vera sunt, propositio autem ipsa falsa est, quia nexus non adest.

B. *Propositio disiunctiva*:

1. *Notio*: Propositio disiunctiva est ea, in qua subiectum vel praedicatum constat partibus, quae se excludunt eodem tempore vel in eodem subiecto, et connectuntur particulis: aut-aut. Illae partes vero possunt se excludere contradictorie: homo est aut rationalis aut non; vel contrarie: hic homo est aut puer aut senex; vel privative: hic homo est aut videns aut caecus; vel relative: hic homo est aut pater aut filius.

2. *Divisio*: Dividitur in *proprie* disiunctivam, in qua omnia membra se excludentia enumerantur, ita ut uno admisso cetera neganda sint: aut sto aut non sto; et *improprie* disiunctivam, in qua non omnia membra enumerantur, sed particula „saltem“ coniunguntur ita, ut possint simul esse vera, non simul falsa: vel Petrus vel (saltem) Paulus Romae obierunt.

Distinguenda est propositio disiunctiva: a) a *divisiva*, quae in forma disiunctiva *inferiora subiecti*, i. e. extensionem eius in praedicato exhibet ac proinde in propositiones categoricas copula „et“ coniunctas resolvitur, quae se invicem non excludunt: Animal est aut (et) homo aut (et) brutum; corpora coelestia sunt aut stellae fixae aut planetae. Propositio vero disiunctiva

subiectum potius quoad *comprehensionem* dividit, i. e. generi in praedicato exhibito subordinat: homo aut mortalis est aut immortalis; b) ab *explicativa*, quae pro una voce aliam substituit idem significantem: Planetae vel stellae errantes orbitam habent eclipticam.

3. *Veritas*: *Conditiones ad veritatem* propositionis disiunctivae requisitae sunt: a) divisio sit *adaequata*, quod praesertim attendendum est, si partes privative vel contrarie vel relative opponuntur, quia saepe admittunt medium; unde falsa est disiunctio; aut sedeo aut sto. In propositione impropria disiunctiva particula „saltem“ supplet divisionem *adaequatam*. b) ut partes *perfecte* opponantur, ita ut se excludant; hinc falsa disiunctio: aut sedeo aut lego aut dormio. (Patet, has regulas non valere, nisi pro propositione *proprie* disiunctiva. — Eaedem regulae sunt observandae in propositione divisiva; unde falsae sunt propositiones divisivae: Omnes homines aut Europaei aut Asiates; aut Europaei aut Itali sunt.)

C. *Propositio coniunctiva*

est illa, quae negat duo subiecta vel praedicata *simul* esse posse vera, licet simul falsa esse possint; (ac proinde distinguitur a disiunctiva perfecta, in qua membra neque simul vera, neque simul falsa sunt; a disiunctiva imperfecta, in qua membra simul vera, non simul falsa; a divisiva, in qua membra simul vera et simul falsa esse possunt. Porro propositio disiunctiva (et divisiva) semper est affirmativa, coniunctiva autem semper negativa: Homo non potest simul sedere et ambulare; potest vero neutrum facere, e. g. stare, lecto decumbere.) Requiritur igitur ad veritatem, ut partes coniunctae *simul* in subiecto vel praedicato se excludant.


Propositiones tum disiunctivae tum coniunctivae facile in conditionales mutantur, ita ut in disiunctiva negato uno membro alterum inferatur, et vice versa; in coniunctiva vero affirmato uno membro alia negentur, non autem vice versa.¹⁾

Caput III: De propositionum relatione.

1. *Natura et species oppositionis*. Propositiones, quae diversam materiam, i. e. diversum subiectum et praedicatum habent, vocantur *disparatae*, neque quidquam speciale de eis dicendum est. Si vero

¹⁾ Cfr. Wundt (System der Philosophie, 1897², p. 49 sq.) idem censens. Ex hoc patet, etiam diversas illas relationis categorias, quas Kant ex iudiciis hypotheticis et disiunctivis derivat, i. e. causam et effectum, mutuam actionem, non admittendas esse. Cur non etiam ex iudiciis divisivis et coniunctivis categorias deduxit?

propositiones eandem habent materiam, possunt diversis modis inter se referri: ratione oppositionis et ratione identitatis. Ac primum quidem ratione oppositionis. Possunt enim differre a) sola quantitate, b) sola qualitate, c) quantitate et qualitate. Si different quantitate, vocantur *subalternae*, et quidem universalis *subalternans*, particularis vero *subalternata*; si different qualitate et utraque est universalis, vocantur *contrariae*; si vero ambae particulares, appellantur *subcontrariae*; si tandem quantitate et qualitate differunt, dicuntur *contradictoriae*. Oritur ergo hoc schema:



2. *Modus oppositionis.* Non quaevis differentia propositionum earundem oppositionem efficit; ad hanc enim requiritur: a) ut sint de eadem materia; secus sunt disparatae; b) ut quod una affirmat altera neget; nam idem non potest simul esse et non esse. Unde apparet, non esse oppositionem: 1º inter subalternas, quia subalternans iam includit subalternatam; deficit ergo secunda conditio oppositionis; 2º neque inter subcontrarias, quia affirmatio et negatio eiusdem praedicati non necessario est de eodem subiecto; deficit ergo prima conditio oppositionis. Excipiuntur tamen propositiones in materia necessaria, ut in schemate proposito, quia tunc particularis aequivalet universalis.

Est vero oppositio: a) inter *contrarias* et quidem maxima, licet non perfectissima, quia non solum una affirmat, quod altera negat de iisdem subiectis, sed etiam tantum affirmat, quantum potest; b) inter *contradictorias*, et quidem perfectissima, quia altera neque parum affirmat, neque nimium, sed quod sufficit, ut opposita excludatur. — Advertendum est, contradictoriam propositionis, cuius subiectum est in suppositione incomplete distributiva, fieri negando praedicatum de *specie* subiecti; contradictorias propositionum singulare vel quarum subiectum in suppositione materiali, logica, absoluta, collectiva invenitur, fieri sola negatione.

3. *Relatio quoad veritatem.* a) Propositiones *subalternae* possunt sed non debent simul verae et simul falsae esse, quia nulla est inter eas oppositio; si vera fuerit *subalternans*, etiam vera erit *subalternata* in ipsa iam inclusa; si falsa fuerit *subalternans*, falsa quoque erit *subalternata* ratione *formae*, ac proinde semper in materia necessaria.

(A) Merleauval.

potest autem vera esse ratione *materiae*, si propositiones sunt de materia contingentia. Ex falsitate *subalternatae* deducitur falsitas *subalternantis*, non vero ex veritate illius huius veritas, quia subiectum potest esse diversum, e. g. aliquis homo est sapiens, non autem omnes, nisi sit in materia necessaria.

b) Propositiones *contrariae* non possunt simul esse verae, quia idem de iisdem subiectis simul affirmant et negant; unde ex veritate unius deducitur falsitas alterius, non autem vice versa, nisi in materia necessaria; possunt enim simul esse falsae, si sunt in materia contingentia: omnis homo est sapiens et nullus homo est sapiens.

c) Propositiones *contradictoriae* non possunt simul esse verae neque simul falsae; 1º non simul verae, quia cum universalis distributive supponat, de eodem subiecto opposita praedicarentur; 2º non simul falsae, si quidem oppositio contradictoria non admittit medium, est enim inter ens et non-ens: unde est in materia vel necessaria vel ei aequivalenti.

(Et certe, propositio: omnis homo est felix, est falsa, vel quia omnes homines sunt infelices, vel quia saltem aliquis homo est infelix. Si *ultimum*, patet, contradictorias propositiones non simul esse falsas, quia haec est contradictoria priori simulque vera supponitur; sin *primum*, tunc etiam eius *subalternata* erit vera: aliquis homo non est felix, quae iterum est contradictoria priori affirmativa universalis.

Quod ut confirmetur, etiam alteram contradictoriam propositionem consideremus. Si igitur falsa est propositio: aliquis homo non est felix, ratio est, vel quia omnes homines sunt felices; ergo vera erit contradictoria; vel quia saltem aliquis *certus* homo est felix. Sed „aliquis homo“ (non est felix) significat *quemlibet indeterminatum* totius extensionis subiecti ac proinde etiam „aliquem certum“, quare de eodem subiecto simul opposita praedicarentur, quod non licet. Ergo contradictoria non possunt simul esse falsa. Unde ex veritate unius falsitas alterius semper sequitur.

Quodsi subiectum in suppositione disiuncta vel disiunctiva fuerit, hoc exprimendum est, ne oppositio fiat falsa: aliquis i. e. quilibet vel aliquis certus; nullus omnino vel nullus certus: Aliquis (sed indeterminatus) calamus est necessarius ad scribendum — nullus (omnino; non: nullus certus) necessarius).

d) Propositiones *subcontrariae* possunt simul esse verae, quia non necessario idem habent subiectum, nisi sunt in materia necessaria. Non tamen simul falsae sunt; nam si una est falsa, tunc eius *subalternans* universalis quoque erit falsa. Atqui huic contradictoria est subcontraria sua *subalternatae*, quae ergo ut num. c ostendit, deberet esse vera; unde suppositio nostra est falsa. Ex veritate igitur unius non sequitur veritas alterius, sed ex falsitate unius veritas alterius.

4. Propositiones *aperte compositae* (copulativa, adversativa, relativa, causalis) et *occulte compositae* (exclusiva, exceptiva, comparativa, reduplicativa, specificativa) neconon *complexae* (restrictiva, explicativa) *contrariae* flunt per propositionem proprie disiunctivam, negando vel affirmando membra propositionis oppositae affirmata vel negata (aut-aut; neque-neque): Petrus et Paulus fuerunt apostoli; contraria: neque Petrus neque Paulus fuit apostolus. Flunt *contradictoriae* per propositionem improprie disiunctivam (vel-vel saltem): vel Petrus vel saltem Paulus non fuit apostolus.

5. *Propositiones hypotheticae* (conditionales, disiunctivae, coniunctivae) sibi opponuntur ratione nexus per propositionem modalem: Si mundus existit, Deus (necessario) existit; contraria: Si mundus existit, nullo modo (impossibile) Deus existit; contradictoria: Si mundus existit, non necessario per hoc Deus existit i. e. existit quidem, sed non propter rationem propositam, vel saltem non necessario per hoc existit.

6. Oppositio propositionum *modalium*. Cum propositiones modales *modi dicti*, non quantitate vel qualitate dicti distinguantur, oppositio fit simplici negatione modalitatis. Unde schema hoc oritur:

		contraria-		
Necesse est esse	subalternae	contra-dictoriae	subalternae	Impossible est esse
Possible est esse	subalternae	contra-dictoriae	subalternae	Contingens est (Possible est non esse, non necesse est.)
		subcontraria		

Quoad veritatem eadem leges vigent quas supra pag. 48, 3 statuimus. Unde ex necessitate sequitur possilitas, non vice versa; sicut ex impossibilitate existentiae sequitur non-necessitas, i. e. contingentia existentiae, non vero vice versa. Possible et contingens est, e. g. hodie pluere, sese non excludunt.

Simili modo sibi opponuntur propositiones complexae ratione adverbiorum temporis vel loci:

Semper, ubique — nunquam, nullibi

Aliquando, alicubi — non semper, non ubique.

§ 2. Aequipollentia propositionum.

1. *Notio*. Relatio orta ex identitate propositionum vocatur *aequipollentia*. Propositiones generatim dicuntur aequipollere, si habent eandem significationem: e. g.: triangulum aequalium laterum et angularium. Sed in logica *aequipollentia* speciali modo significat *reductionem propositionum sibi in eadem materia oppositarum addita rel sublata negatione ad eundem sensum*. Sic si propositio est: omnis homo est mortal, quaeritur, quomodo propositio ei contraria vel contradictoria vel subalterna ita mutetur, ut idem significet. (Cum haec aequipollentia efficiatur negatione, particula „non“ vocatur

„malignantis naturae“. Haec doctrina de aequipollentia ab antiquis iam tradita¹⁾, a schola Wolffiana et Kantio tamquam sophistica vel lusus verborum reiecta, inservit ad propositiones difficiliores illustrandas et illationes immediatas instituendas.

2. *Regulae*: A. Quoad propositiones *simplices*:

a) Negatio *praeposita subiecto* propositionis reddit eam aequipollentem suae ipsius contradictoriae; negatio afficit totam propositionem, sicut signum minus ante summam algebraicam collocatum — (a + b — c); Omnis homo est mortal — non (omnis homo est mortal) — aliquis homo non est mortal.

b) Negatio *postposita subiecto*, ita ut afficiat praedicatum propositionis, facit eam aequipollentem contrariae vel subcontrariae: Omnis homo est mortal — omnis homo non est mortal — nullus homo est mortal.

c) Negatio *praeposita et postposita subiecto* reddit propositionem aequipollentem subalternae: Omnis homo est mortal — Non (omnis homo non est mortal) — aliquis homo est mortal. Regulae hae brevi exhibentur versu memoriali: *Prae contradic., post contrar., pae postque subalter.*

B. Quoad *propositiones modales et complexas* ex adverbii loci vel temporis valent eadem regulae, modo advertatur, negationem *modo vel adverbii pae* — vel postponendam esse, non subiecto propositionis modalis. Unde aequipollentia hoc modo erit:

I. Prae:

Non	Necesse	est	=	contingens	est
	Ubique	est	=	alicubi	est ²⁾
Non	Semper	est	=	aliquando	est
	Possibile	est	=	impossibile	est
Alicubi	Alicubi	est	=	ubique	est
	Aliquando	est	=	Semper	est

II. Post:

Necesse	est	=	Impossible	est
	Ubique	est	=	Nullibi
Semper	est	=	Nunquam	est
	Possibile	est	=	Contingens
Alicubi	est	=	Alicubi	non est
	Aliquando	est	=	Aliquando

¹⁾ Vide Pesch, I, 366; S. Thom. op. 48, n. 9 et 13. Etiam J. Müller (Syst. der Philos.) reicit regulas aequipollentiae et conversionis, immo et oppositionis contradictoriae; sed ex ratione addita apparent, eum confundere formam et materiam cogitandi; dialectica est, ut ipse pag. 68 bene advertit, *formalem* veritatem cogitandi considerare; et quemadmodum nonnunquam utile est, calculum inverttere, ut eius veritas confirmetur, sic etiam veritas operationis mentis aliquando clarius perspicitur et confirmatur, si modo inverso exhibetur. Cfr. Wundt, Logik I, 227—243. ²⁾ i. e. alicubi sensu disiuneto, non disiunctivo; idem dic de aliquando.

III. Prae postque:

Nou	{ Necesso est Ubique est Semper est	= Possibile est = Alicubi est = Aliquando est
Non	{ Possibile est Alicubi est Aliquando est	= Necesso est = Ubique est = Semper est

§ 3. Conversio propositionum.

1. *Notio et species conversionis.*¹⁾ Cum in propositione identitas subiecti et praedicati affirmetur, patet illos terminos etiam locum mutare posse. Haec terminorum mutatio, ita ut subiectum fiat praedicatum, praedicatum autem subiectum, salva propositionis veritate, vocatur *conversio propositionum*. Cavendum autem est, ne extensio terminorum maior fiat, quam fuerit ante conversionem. Conversio vero potest esse: *simplex*, *per accidens*, *per contrapositionem*. *Simplex* est, si subiectum et praedicatum mutant locum retenta *eadem quantitate* (*extensione*); *per accidens* fit, si quantitas mutatur, i. e. universalis propositio fit particularis; *per contrapositionem* fit, si subiectum et praedicatum negatione addita fiunt termini infiniti.

2. *Regulae conversionis:* ¹⁰ in propositionibus *simplicibus*:

a) Propositio generalis negativa (e) et particularis affirmativa (i) simpliciter convertuntur, quia in ipsis praedicatum retinet eandem extensionem, si locum subiecti occupat: Nullus homo est brutum — nullum brutum est homo; aliquis homo est felix — aliquis felix est homo.

b) Propositio generalis *affirmativa* (a) *debet* et generalis negativa (e) *potest* per *accidens* converti, quia praedicatum in propositione affirmativa semper est particulare: Omnes homines sunt mortales — aliqui mortales sunt homines.

c) Propositio *particularis negativa* per se i. e. *ratione formae logicae* per *contrapositionem* convertenda est, ne quantitas subiecti et praedicati mutetur. Et hoc modo semper converti *debet*, quando praedicatum est in materia contingenti et soli speciei subiecti convenit, e. g. aliquis homo non est philosophus — aliquis (non philosophus) non est (non homo). Si vero praedicatum est in materia contingenti neque soli speciei subiecti convenit, *ratione materiae* potest simpliciter converti, e. g. aliquis homo non est felix — aliquis felix non est homo.

d) Definitiones (theses in geometria), propositiones singulares simpliciter convertuntur, quia in illis subiecto vel praedicato non maior tribuitur extensio: homo est animal rationale — animal rationale est homo.

Regulae illae versibus his memorialibus continentur:

Simpliciter feci convertitur; eva per accid;
asto per contrap: sic fit conversio tota.

¹⁾ Cfr. Aristot. anal. prior. I. c. 2, et 3; S. Thom. op. 48.

2^o *Conversio propositionum compositarum:* a) In propositionibus *aperte* compositis fit secundum simplices, ex quibus constant; in *occulte* compositis, secundum earum exponentes. Si *complexae*, i. e. apparenter compositae convertuntur, attendendum est ad statum, ampliationem vel distractionem praedicati ratione verbi et ad restrictionem subiecti per terminum incidentem: Caeci vident = aliqui qui fuerunt caeci, nunc vident-convertitur: aliqui nunc videntes (sunt ex iis qui) fuerunt caeci.

b) In propositionibus *modalibus* conversio fit in dicto, quia modus semper praedicati logici locum retinere debet. Si modus est *affirmativus*: *necesso* est, *possibile* est, serventur quoad dictum tum *affirmativum* tum *negativum* convertendum leges generales supra expositae.

Si vero modus est *negativus*: *impossibile* est, *contingens* (non *necesso*) est, in modo *impossibili*, quum sit semper in materia necessaria (universalis), dictum *affirmativum* ratione modi *negantis* aequivalet propositioni universalis *negativae*, ac proinde *simpliciter* convertitur; dictum vero *negativum* ratione modi *negantis* aequivalet propositioni universalis *affirmativae* ac proinde per *accidens* convertitur.

Si modus est *contingens* (non *necesso* est), regulae supra sub. c explicatae valent. — Ceterum logici in hac quaestione explicanda iam ex tempore Aristotelis non satis concordant.¹⁾

c) In *hypotheticis* propositionibus conversio fit eo, quod contradictoria conditionatae fit conditio. Negato enim effectu, qui conditionato exprimitur, causa eius quoque, i. e. conditio neganda est: Si mundus existit, Deus existit, convertitur: Si Deus non existit, neque mundus existit.

§ 4. Immediata illatio.

1. *Notio:* Natura ita sumus constituti, ut ex una veritate aliam deducere nitamur, quae deductio potest esse *mediata* et *immediata*. Haec in eo est, ut mens perspecta una propositione aliam in ea includi clare percipiat, quin aliam propositionem adhibeat.²⁾ Actus mentis, quo veritas ex alia deducitur, vocatur illatio; hac illatione immediata iam multae cognoscuntur veritates, praesertim illae, quae ex primis principiis derivantur.

2. *Species:* A) Illatio immediata ratione *identitatis* propositionum fit, quando propositiones sunt aequipollentes vel conversae, siquidem obiective idem significant, quamvis verbis paulisper discrepant. Concluditur igitur immediate ex veritate et falsitate unius veritas vel falsitas alterius.

B) Illatio ratione *oppositionis*: a) *in propositionibus contradictoriis*, si una vera, altera falsa est, et vice versa; b) *in contrariis*: si una vera, altera falsa est, non autem vice versa, nisi in materia necessaria; c) *in subcontrariis*: si una falsa, alia vera est, non vice versa, nisi in materia necessaria; d) *in subalternis*: si subalternans vera, subalternata quoque per se vera est; non vice versa, nisi quando subalternata est falsa (vide p. 42), vel si propositiones subalternae sunt in materia necessaria.

¹⁾ Cfr. Pesch, I, 375. ²⁾ Hanc tamen immediatam conclusionem clarissimus P. Remer in sua „Summa paelectionum“ (Prati 1895) I, 71 contra unanimem fere auctorum consensum non admittere videtur.

C) Illatio *ratione subordinationis*: 1^o quoad praedicatum: a) valet sola *affirmativa* ab inferiori praedicato ad superiorius (a specie ad genus): homo est animal, ergo etiam vivens; et sola *negativa* a superiori ad inferius (a genere ad species); homo non est brutum, ergo neque canis. b) Valet, non ratione formae, sed materiae a praedicato *complexo* ad eius partes, et a praedicato *diviso* ad *compositum*, si alterutra vel singulae partes subiecto *necessario* convenient vel una pars praedicati est terminus *restrictivus* termini principalis: Homo est rationalis et mortalis = homo est ens rationale mortale; Alexander erat Macedo et rex = Alexander erat Macedonum rex; non vero, si praedicatum habet terminum incidentem diminutivum vel appellativum. Non igitur dicere licet: Alexander erat parvus (quoad corpus) et rex = parvus rex et vice versa. c) Valet illatio a praedicato *privativo* ad *negativum*, non vice versa: caecus est; ergo non videt.

2^o Illatio *ratione subiecti*: a) a suppositione distributiva subiecti ad particularem et singularem, non vice versa; b) a distributiva ad collectivam et vice versa, si praedicatum singulis inferioribus subiecti *per se* convenit, non ut sunt pars totius vel totum simul; unde illatio valet per accidens, i. e. ratione materiae: Unus miles non potest hostes vincere — ergo neque omnes, esset falsa illatio. Unus miles quovis die iter sex horarum perficit — ergo omnes, est bona illatio. Singuli milites sunt simul exercitus — ergo singuli sunt exercitus, esset falsa illatio.

D) Illatio *ex modalitate*: a) valet ab esse ad posse; a non posse ad non esse, non vice versa; b) a potentia ad actum in causa necessaria; non vero, si libera est causa; et valet ab actu ad potentiam; (c) a possibiliitate simultaneitatis ad simultaneam possibilitatem, sed non vice versa: Petrus potest cras esse vivus et mortuus, sed non simul; potest tamen simul sedere et legere.

Liber tertius: De ratiocinio.

Caput I: De ratiocinio in genere.

§ 1. De natura ratiocinii.

I. *Notio*: Veritates, quas iudiciis immediatis vel illatione immediata cognoscimus, admodum paucae sunt neque modo scientifico inter se connexae. Opus igitur nobis est alia mentis operatione, qua ex ideis et iudiciis inde formatis novas veritates deducere possumus. Hoc praestat ratiocinium. *Ratiocinum enim est illa mentis operatio, qua, comparatione duarum idearum cum eadem tertia instituta, illarum, inter se identitatem vel diversitatem cognoscimus et affirmamus.*¹⁾ Quodsi duas ideas, quarum identitas vel diversitas non immediate nobis innotescit, cum aliqua tertia comparamus, potest

¹⁾ Cfr. S. Thom. I. Periherm. lect. 1; opusc. 47: de natura syllogismorum; et 48: de syllogismo simpliciter. Cicero (Academ. II (IV) c. 8): „Ratio quae ex rebus perceptis ad id quod non percipiebatur adducit“. Aristot. anal. pr. I, 1.

fieri: 1) ut *nullus* nexus inter illas ideas deprehendatur; tunc nil novi cognoscitur, neque novus actus mentis elicetur; 2) ut una idea cum tertia sit saltem obiective identica, altera vero diversa; tunc etiam a prima erit diversa, de eaque negatur; 3) ut utraque idea cum tertia sit identica; tunc etiam inter se sunt identicae ac proinde una de altera affirmando praedicatur. Sic animae nostrae spiritualitas ex eius operationum intellectivarum immaterialitate probatur.

II. *Obiectum*. Distinguitur obiectum ratiocinii *materiale* et *formale*: materiale sunt tres illae ideae, quae comparantur, et hae quidem constituunt obiectum *remotum*; proximum sunt tria iudicia, quae ex ideis illis efformantur. *Forma* autem ratiocinii est nexus ille necessarius, qui intercedit inter tria illa iudicia, et vocatur *consequentia*. Haec consequentia nititur duobus principiis: 1) *identitatis*: Quaevis res sibi ipsi identica est ac proinde etiam ea, quae identica sunt eidem tertio, inter se quoque identica sint oportet; 2) *diversitatis*: si ex duobus unum identicum est cum eodem tertio, alterum vero diversum, illa duo neque inter se identica sunt. (Quae principia per se *metaphysica* modo *logico* ab Aristotele¹⁾ proponuntur: a) *dictum de omni*: i. e. quidquid distributive de subiecto affirmatur, etiam de eius inferioribus affirmatur; b) *dictum de nullo*: Quidquid distributive de subiecto negatur, etiam de inferioribus eius negatur.) Omnia vero ista principia resolvuntur in *principium contradictionis*, quod iam Aristoteles omnium principiorum in ordine essendi et cogitandi primum habet ac fundamentale. In ordine essendi enuntiat: *Nil potest simul esse et non esse*; in ordine cognoscendi: *Nil potest de eadem re simul affirmari et negari*. (Accedit *principium rationis sufficientis*, praesertim in syllogismis hypotheticis, quod tamen realiter idem est cum principio contradictionis, et solum ratione ab eo differre videtur, de quibus principiis plura in *Ontologia* dicentur.²⁾)

III. *Signum*, i. e. *expressio ratiocinii*: Ratiocinium, si verbis exprimitur, vocatur *syllogismus*, et definitur: *argumentatio, quae tribus constat propositionibus ita inter se connexis, ut duabus prioribus positis tertiam ponere necesse sit*. Requiruntur igitur ad syllogismum tres propositiones, quae sunt eius materia. Subiectum et praedicatum conclusionis, i. e. propositionis probandae vocantur termini *extremi* et quidem subiectum *extremum minus*, praedicatum *extremum maius*, quia ex natura sua maiorem habet extensionem quam terminus subiecti. Terminus vero, cum quo subiectum et praedicatum comparantur, vocatur *terminus medius*. Propositio prima, quae continet praedicatum conclusionis, vocatur *praemissa maior*; altera,

¹⁾ Analyt. Prior I, c. 1. ²⁾ Cfr. infra *Ontolog.* I. I. c. I. § 3.